

1540 ottobre 11-12, Quinzano.

Visita pastorale del vicario vescovile Annibale Grisonio.  
Verbale della visita e decreti.

Brescia - Archivio Vescovile: Visite Pastorali, reg. "A", cc. 12r-14r.

Ediz.: CASANOVA, 1993, pp. 82-101 (con traduz. e note).

---

(revis.: tc, 12.2006)

{In quinziano,}<sup>1</sup>

1540 Indictione XIII die XI mensis octobris. *Reuerendus dominus Vicarius prefatus accessit ad Terram de Quinziano animo visitandi plebem sancte marie de quinziano predicto, et<sup>2</sup> alias ecclesias intra ipsius limites constitutas, et*

*Primo visitauit ecclesiam simplicem sanctorum faustini et Iouite que est in medio Terre, et in ea ex concessione illius rectoris qui est Reuerendus dominus Bartolomeus durantus et precario ad comodum populi celebrantur diuina et ministrantur ecclesiastica Sacramenta. et primo illam ingressus, et facta reuerentia et adoratione ante altare maius, Cantataque missa ad deuotionem populi concurrentis necnon sermone habito ad populum per ipsum Reuerendum dominum Vicarium, et celebratis orationibus pro defunctis per ipsam ecclesiam que caret cimiterio tumultatis*

*Vidit locum in quo seruatur sacratissimum corpus xpisti in quodam Angulo minus reuerenti, et in tabernaculo quodam despecto, et Ideo Iussit fieri depositum venerandum et collocari super altari maiore diligenter firmatum, et sub tuta custodia et clausura, et Tabernaculum paruum fieri quo posset honorifice et decenter ad Infirmos deferri, oleum autem sanctum et sacrum crisma in vasculo plumbeo in sacrario seruatur*

*Baptisterium vero in loco tuto quidem, sed in vase vetustate consumpto,.*

*Calices, vestes sacras, corporalia, purificatoria, mediocriter munda, et ideo Iussit illa lauari, et mundiora teneri,*

*De quibus bonis et etiam de Immobilibus mandauit fieri Inuentarium Infra terminum trium mensium, et officio presentari, || [c. 12v]*

*Rector ipsius ecclesie Sanctorum faustini et Iouite clericatus nuncupata quam obtinuit sub moderno pontifice per resignationem quondam Reuerendi domini petri durante eius patrum et est valoris annui ducatorum ducentorum, cui Iniunxit idem dominus Vicarius vt Inuentarium fieri faceret bonorum tam mobilium quam Immobilium ad dictam ecclesiam pertinentium Infra terminum premissum*

*Deinde visitauit ecclesiam etiam simplicem sancti Rochi de nouo constructam voto et impensis populi ipsius Terre, que habet plodia duo uel circa Terre empta et acquisita per homines dicte Terre, et eidem ecclesie in dotem cum onere celebrandi missam singulis festiuitatibus siue qualibet prima dominica cuiuslibet mensis, assignata, Cuius ecclesie est rector siue Inuestitus<sup>3</sup> quidam presbiter gandinus habitator in luero, qui nec per se nec per alium deseruit, propterea fuit decretum preceptum contra eum quod sub pena priuationis deseruiat seu deseruiari faciat prout tenetur,.*

*{die suprascripto fuit factum preceptum presbitero gandino quod infra XV dies deseruiat aut*

---

<sup>1</sup> Nel margine sin.

<sup>2</sup> Nel ms, tranne poche eccezioni, è costantemente utilizzata in principio di parola una -e- di forma intermedia tra maiuscola e minuscola; nella trascrizione è stata resa con la maiuscola solo all'inizio di frase.

<sup>3</sup> Scil.: "inuestitus".

deserui faciat}⁴

Vidit paramenta, calicem, et corporalia dicte ecclesie, et mandauit fieri Inuentarium tam de dictis bonis mobilibus quam Immobilibus Infra tres menses,

Post hec visitauit ecclesiam sancte marie remotam A frequentia populi vbi est titulus plebis et fons baptismalis Antiquus, sed ex Notabili lapide, et super cimiterium orationes fudit pro deffunctis, et ecclesiam ipsam vidit pene dirutam, cuius porte ob deffectum serrarum non clauduntur, et Tectum adeo fractum quod veniente pluuiâ ecclesia Inundatur et Ideo mandauit tam factori Archipresbiteri infrascripti, quam hominibus dicte Terre ibi presentibus quod reparationi ipsius ecclesie diligenter intendant, tam in tecto quam parietibus vbi vrget necessitas, quam in serris portarum

Archipresbiter dicte ecclesie est Reuerendus dominus Angelus Zane qui non residet personaliter sed deserui facit per infrascriptos substitutos, mandatum fuit eius factori vt ipsi Archipresbitero denuntiet quod fidem faciat infra duos menses de litteris prouisionis sibi facte de dicta ecclesia,

Valor ipsius ecclesie annue excedit summam librarum mille planet

Capelle subiecte dicte plebi sunt infrascripte videlicet

Ecclesia parrochialis sancte marie magdalene de aqualonga

Ecclesia parrochialis sancti sebastiani de la motela

quarum Rectores accedunt in sabbato sancto ad accipiendum⁵ Crisma

Ecclesia sancti siluestri de monticellis }

Ecclesia sancti petri de virolaueteri }

Ecclesia sancti Iacobi de gabiano }

Ecclesia sancte marie de padernello }

Ecclesia sancti Ioannis de villanoua }

{dicte omnes ecclesie solite erant accedere ad accipiendum crisma, et adiuuandum fieri baptisterium In dicta plebe de quinzano, nunc recusant predicta facere}⁶

Et quod homines de monticellis ab⁷ octo seu decem annis citra cessarunt prout consueuerant accedere ad dictam plebem ad portandum aquam pro implendo fonte baptismali || [c. 13r]

Est quedam capella seu oratorium sub titulo sancte marie de curte milia,

et alia sub titulo sancti Ioseph que est in dicta Terra, que nihil habent de reddito excepto dicta ecclesia sancte marie que habet tantum tre perticas terre,

Est alia ecclesia sub titulo sancte marie de montechio que est vnita plebi predicte vna cum alie suprascripte capelle que nihil habent de reddito

Et etiam Alia ecclesia seu capella sub titulo sancti Ambrosij que nihil habet vtsupra

Curati in plebe predicta sunt presbiter Ioannes⁸ petrus de basellis, et presbiter dominicus grena,⁹ quorum presbiter Ioannes petrus ostendit litteras sacerdotij sui, et licentiam ministrandi sacramenta, de reliquis infra vnus mensis spacium fidem factururus, presbiter Dominicus¹⁰ ostendit licentiam exercendi curam, et dixit non habere pre manibus litteras suorum ordinum

Est quedam disciplina in dicta Terra habens plodia triginta quinque Terre ex quibus percipiuntur libre centum uel circa quolibet anno que pecunie quia dispensari solent ad

⁴ Aggiunto nel margine sin.

⁵ Segue «baptismum», cancellato.

⁶ Scritto nello spazio a destra dell'elenco delle parrocchie.

⁷ Segue «d», cancellato.

⁸ Segue «presbiter», cancellato.

⁹ Segue «on», cancellato.

¹⁰ Segue «di», cancellato.

libitum uoluntatis disciplinatorum<sup>11</sup> qui sunt viginti. Deceuit idem Reuerendus dominus Vicarius quod decetero fructus predicti errogentur in pauperes tam sanos quam infirmos in necessitate constitutos, Ita quod congruis oneribus ipsius discipline supportatis, residuum in pauperes errogetur, et non in diuites et pauperes simul prout hactenus fieri consueuit, minusque cedant in vsum seu potius abusum disciplinatorum predictorum, et hoc sub pena excommunicationis massario ipsius discipline, et soluendi de proprio, quod aliter quam utsupra dictum est per eum fuerit errogatum, Mandans hominibus dicte Terre consilium representantibus vt duos ex eis deputent consiliarios, qui dispensationi fructuum predictorum assistant, ne quid fraudis imposterum possit admitti, et ita decreuit et mandauit omni meliori modo etc

Et quia Capellani curati predicti conquesti sunt coram ipso Reuerendo domino Vicario ex eo quod Reuerendus dominus rector plebis suprascripte non soluit salarium sibi promissum,<sup>12</sup> et vltierus dixerunt non posse amplius deseruire dicte plebi cum salario decem ducatorum cum quo hucusque deseruire consueuerant, attenta mala Ipsorum conditione, Propterea prefatus Reuerendus dominus Vicarius attento quod salarium predictum est nimis incongruum, mandauit factori prefati Reuerendi domini Archipresbiteri, quod de salario debito dictis curatis eis satisfieri faciat, et decetero eis et cuique eorum taxauit ducatos<sup>13</sup> duodecim ad rationem librarum<sup>14</sup> trium planet pro quolibet ducato, eis et cuique eorum dandos pro quolibet anno

Dominus presbiter Xpistoforus de dicta Terra qui celebrat In ecclesia sanctorum faustini et Iouite ad requisitionem Magnifici domini Ioannis marie de pischerij, ostendit litteras ordinum suorum preter sacerdotium quas dixit habere brixie, sed ibi fidem fecit de promotione sua

Alias fuit quidam<sup>15</sup> mons pietatis vbi solebat esse quedam maxima quantitas bladorum, in dicta Terra, que quantitas bladorum fuit tunc diuersis personis eiusdem Terre mutuata prout apparet ad libros existentes penes suprascriptum presbiterum Ioannem petrum curatum, propterea mandauit suprascripto presbitero Ioanni petro quod exhibeat dictos libros || [c. 13v] et eos consignet spectabili domino Vicario dicte Terre ibi presenti, mandando eidem spectabili domino Vicario quod ipse vna cum alijs hominibus dicte Terre elligat duos homines qui exigant dicta blada a debitoribus, et de nouo construatur alius mons, qui gubernetur prout fit in alijs locis

presbiter Thomas de riuellis de quinzano fuit suspensus a diuinis ex eo quia non ostendit litteras ordinum suorum, et reuocata fuit licentia eidem concessa ministrandi sacramenta

Sunt In cura predicta quatuor mille anime, quarum de comunione sunt duo mille  
Est etiam in dicta ecclesia clericatus valoris ducatorum 14 cuius rector est Camillus de lancenis,  
presbiter paulus de oliuis<sup>16</sup> de dicta Terra ostendit litteras sacerdotij  
presbiter georgius capellanus in ecclesia sancti siluestri, {de monticellis suprascriptis}<sup>17</sup>  
suspensus fuit a diuinis ad beneplacitum,

Marta de castenedulo confitetur se redditam pregnantem a quodam presbitero marco antonio de laude habitatore in virolalgisio

<sup>11</sup> Segue «d», cancellato.

<sup>12</sup> Cassato un trattino abbreviativo sopra -um-.

<sup>13</sup> Segue «duoc», cancellato.

<sup>14</sup> Segue «triginta», cancellato.

<sup>15</sup> Corretto da «quoddam».

<sup>16</sup> Errore per «Olinis» (cfr. c. 14v).

<sup>17</sup> Aggiunto nel margine sin.

Augustinus pauesius de quinzano testis ut *supra* Iuratus et assumptus, Interrogatus de vita et moribus *suprascriptorum presbiterorum maxime curatorum*, dicit « monsignor io non potrei dir male de esti curati per che sono da bene, sufficienti, et experti in la cura, » et *similiter* Interrogatus de uita et moribus<sup>18</sup> *hominum dicte Terre*, dicit nescire aliquid mali exempli de eis, Interrogatus de uita et moribus *suprascripti presbiteri Thome*<sup>19</sup> dicit «El fu frate in santa maria del ordine di minori, et ha vna massara in casa sua giouane et assai bella che è maritata, et è qualche mormoration de lui in la Terra,»<sup>20</sup>

Interrogatus de vita et moribus *presbiteri ludouici de oliuis*<sup>21</sup> dicit «El fu frate, ma altramente l'ho per homo da bene,» et *similiter* Interrogatus de *suprascripto presbitero paulo*, dicit «l'ho per persona da bene,» et *similiter* Interrogatus de vita et moribus *presbiteri Xpistofori de guadagnis* dicit *etiam ipsum habere pro probro viro*

Bartolomeus de papia de quinzano *predicto testis vtsupra* Iuratus et Interrogatus dicit *Quod suprascripti curati sunt homines probi, et bone vite, et diligentissimi in cura*

Interrogatus de vita et moribus *suprascripti presbiteri Thome* dicit *quod habet eum pro probro viro excepto quod habet quandam Iuuenem suspectam in eius domo,*

Et Interrogatus de alijs *presbiteris, et hominibus dicte Terre* dicit nihil de eis mali exempli scire

Antonius ferarius de dicta Terra, dicit medio eius Iuramento *quod dictus presbiter Thomas tenet quandam mulierem suspectam in domo, de curatis non dicit bene, dicit etiam quod est fama quod dictus presbiter Thomas accipit res alienas, et quod presbiter paulus ludit ad cartas et Taxillos publice pretermittendo officia, dicens quod presbiter ludouicus suprascriptus operam dabat mercature, et alij homines viuunt vt alij fideles xpistiani*

Reuerendus dominus Vicarius mandauit *suprascripto presbitero Ioanni de fornasinis quod infra mensem personaliter se presentare debeat coram eo, || [c. 14r]*

Prefatus Reuerendus dominus Vicarius mandauit *suprascripto presbitero Thome presenti et intelligenti quod per totam presentem ebdemodam debeat mulierem quam in domo seu extra domum suam detinet relinquere, et cum ea quoquomodo {non}*<sup>22</sup> *conuersari, sub penis contentis in edictis,*

Die XII octobris 1540

Dominus presbiter paulus de olinis de dicta terra testis *pro informatione receptus* et Iuratus Interrogatus de uita et moribus *suprascripti presbiteri Ioannis de fornasinis*, dicit «heri quando la signoria vostra visitaua in casa de messer Bartolomeo durante esso pre Zoan me domandete se sapeua che cosa uolesse vostra signoria da lui, io gli disse de non saluo che haueua intesochel se diceua che lui haueua alcune cose leutheriane, et che diceua possere magnar de la carne el ueneri et sabbato, lui me respose essere uero che se pol magnar de la carne el ueneri et sabbato, ma che era prohibito solum per el scandalo, et tolse fora de la sua gayoffa le epistole de santo paulo, et me exponete vna certa epistola, et me diceua che se podeua cosi magnar la carne, como el Pesce, io gli disse che eran contra la chiesa lui diceua che non, ma solum che era uedato per euitar el scandalo,»

<sup>18</sup> Segue «*suprascriptorum*», cancellato.

<sup>19</sup> Segue «*frater franciscus de Vitalibus ordinis tertij de dicta*», cancellato.

<sup>20</sup> Le virgolette per i discorsi diretti sono redazionali.

<sup>21</sup> Cfr. nota 16.

<sup>22</sup> Aggiunto nell'interlinea.